


05

A

1957





I. N. S. S. T.

EX
PHYSICIS
DE

56
18
MAGIA IN GENERE
ET IN SPECIE NATU-
RALI,

DISSERTATIONEM

Indultu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
in Inclytâ Wittebergâ
publicæ Eruditorum collationi

PRÆSES

M. ÆGIDIUS *Rothe*

Camentio-Lusatius

ET

RESPONDENS

GEORGIUS SCHUBART

Liebstadio-Misnicus

subjiciunt

Ad d. 26. Novemb.

In Auditorio Minori Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

TYPIS MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ANNO M DC LXX.

MAGIAI GENERE
ET IN SPECIE NATI-



756 A 1957

GEORG GROSSCHMIDT

THE MATTHEW HENCKELS
MDCCLXX





Incipe, Effice, Perfice, Mi JESU!

PRÆLOQVIUM.



Vanta *Scientiæ Naturali* jucunditas in sit, à limine tantùm eam salutanti perspectum cognitumq; vix ac ne vix quidem esse poterit, hæc si quidem jucunditas non statim percipitur, cùm aliquis memoriæ mandaverit, quot sint causæ Corporis Naturalis, quot affectiones &c. Hoc sanè scire generale non parit egregiam, quam sibi soli vindicatam vult speciale, jucunditatem. Physicam enim Scientiam esse jucundissimam jucundissimum ipsius demonstrat objectum, ut Coelum, stellæ, cunctaq; jucunditate & amœnitate plenissima. Imò quid dicam de jucunditate Coeli atq; stellarum, nonne quivis mortalium rei veritate ductus fatebitur, multò majorem haberi jucunditatem in quolibet animali, etiam vilissimo, qualia sunt insecta: Nihilominus tamen in his sat Jucunditatis sapiens abscondit natura. Verum enim verò jucunditatem hanc insignem magna excipit rursus difficultas, ut etiam Physica Scientia sit difficillima, liceat nobis saltem adducere verba *B. Sperlingii Physici quondam incomparabilis*, sic enim in *Zoologia sua pag. m. 6. axiom. 4* inquit: *Nomina brutorum faciesq; externas novisse parum est. Imperitorum habitum fuit detineri in minoribus: Formas verò earumq; virtutes & operationes tenere, permagni momenti res est.* Quis ergò non videt, jure Physicam audire Scientiam difficillimam, nam hic loci Canonem illum Metaphysicorum facimus nostrum: *Quod prædicatur de parte prædicatur etiam de toto*: Si enim Zoologia tanquam pars Physicæ Scientia est difficillima, Sicuti loc. c. *B. Sperlingius* prolixè demonstrat, cur non etiam toti scil. Physicæ prædicatum illud attribui debeat. Quapropter si aliquis hæc paulò altius mente secum revolvat, partim jucunditate insigni ad hanc Scientiam ex-

§. II. *Ὀμωυυία* quod concernit, variè vocabulum *Magia* capi-
pitur, tum in superioribus facultatibus, Theologia, Jurisprudencia
& Medicina, cum in inferioribus, Philosophia Theoretica & Pra-
ctica, cujus rei testis est *Sagacissimus* quondam *Naturæ Interpres B.*
Sperlingius in Instit. Phys. p. m. 313. in hæc erumpens verba: *Agunt*
de hac (Magia) Theologi, Jure Consulti, Medici, Philosophi, & hos inter
Pneumatici, Physici, Mathematici, Politici. Nos suum tribuimus
cuique & nostrum etiam tribuendum nobis censemus. Nos misis reliquis
acceptationibus tantum attendimus, quomodo in Physica capiatur,
quod fit dupliciter, vel in sensu competenti, vel in sensu abusivo. Po-
steriori modo magi quoque appellandi sunt Rustici, qui interdum
divinare solent, non tamen sollicitè rerum causas investigantes expe-
rientie confidunt suæ: Sic v. g. Ex temperie atque Qualitate duode-
cim noctium, natalitia Christi proximè insequentium de duodecim
constitutione mensium conjiciunt. Similiter ex Serenitate Pauli-
næ dici annonæ caritatem aut vilitatem, itemque *Rerumpubl.*
Sortem colligere tentant. Priori vero modo sumitur probabitur qui
ex diligenti rerum scrutinio crebris comparatur actionibus ita tamen, ut
intra naturæ Sphæram sese contineat. Illam removemus hanc reti-
nemus.

§. III. Prælibatis his rectâ progredimur viâ ad realem *Magiæ*
definitionem quam supra ex *B. Sperlingio* tradidimus, ubi notanda
erunt Genus & Differentia. Illud absolvit vocabulum *Habitus*, qui
non intelligitur instrumentalis sed principalis, nec tamen simplex,
qui definituribus *Gnostologis* versatur circa objectum uno formali
considerandi modo determinatum & ad unum finem ordinatum. Vid.
Excellent. Lic. Meierum in Gnostologia p. m. 308. Thes. 2. Sed indigi-
tatur hoc loco per *Habitus* *Habitus Compositus*, quem *Licent. Mei-*
erus l. c. ita describit, quod circa objectum duobus formalibus consi-
derandi modis diversis determinatum versetur, & ad distinctum finem
ordinetur, quæ de *Magia* demonstrari possent, nisi hæc omnia
prolixius adduxisset *B. Sperlingius in Defensione synopsis Physic. p. 887.*
usq. 905. ubi rationes à *B. Zeisoldo* datam contra ipsius definitionem
allatas solidissimè refutat. Hic loci *Johannes Baptista Porta* cum
Apulejo & *Paracelso* erroris insimulandus est, dum ille *lib. 1. Magia*
Naturalis cap. 2. p. 2. per scientiam, hi verò per *Artem Magiam* defi-

niverunt, omnes peccavere in regulam Logicam, Genus definito non sit angustius, ille Practicam hi vero Theoreticam excluderunt Magiam.

§. IV. Differentiam si spectes, reliquis hæc absolvitur verbis, nam paulò ante diximus de vocabulo habitus, quod constituat Genus, nunc autem requiritur ut Genus confusam saltem rei notitiam pariens, per differentiam in distinctiorem rei cognitionem intellectum provehentem nostrum restringatur. Differentia vero de qua nobis sermo est petitur tum ab objecto, tum à partibus integrantibus analogis, *Proprium enim & specificum esse Habitus sunt verba accuratissimi quondam Physici B. Sperlingij delumta ex Instit: Physic: p. m. 315. à proprio dependet objecto, unde etiam differentia aliunde sumenda non est.* Objectum nunc Magiæ absolvent res abditæ & opera admiranda. Partes integrantes analogæ sunt *Scientia & Ars*, beneficio illius pervenimus in cognitionem Magiæ Theoreticæ, beneficio hujus in Practicæ, de quibus in sequenti Thesi.

THE SIS. II.

Magia dividitur in Theoreticam & Practicam.

Εὐθεως.

§. I. Magiam *dividi* non posse tanquam Genus in suas species sicut animal dividitur in Brutum & Hominem, vetat id, quod non se habeat ut Genus, quæ Magiam Theoreticam & Practicam pro speciebus agnoscat, siquidem unica totam Generis naturam species includere debet. Jam vero in aprico positum est neque in Theoretica neque in Practica Magia Magiam comprehendi totam. Multò minus divisio Magiæ in Theoreticam & Practicam potest dici *distinctio*, quia hæc est *equivoci in sua equivocata*. Ast talem hic loci non admitti posse facile constat, quia neque Magia Theoretica neque Practica à Magia, quam thesi prima definivimus, excludi debent. Sed est *divisio totius integralis in partes integrantes* (quam alio nomine *B. Scheiblerus & B. Scharffius partitionem* vocant) non autem intelligitur *totum integrale quantitativum*, cujus partes sunt longæ, latæ & profundæ, sed *analogicum* partibus quod gaudet non extensivis sed intensivis, sicut hæc de re iterum conferri potest dexterrimus Naturæ Interpres *B. Sperlingius in Instit: Physic: p. m. 316. & in defensione Synopses Phys: p. 913.*

§. II.

§. II. Explicandum nunc erit, quid *Magia* sit *Theoretica*, quid *Practica*, verum hoc peti posset partim ex prima thesi, in qua talis *Magiæ* data fuit definitio, quæ utriusque naturam exprimit, partim ex libellis *Physicis B. Sperlingij Synopsi, Institutionibus & Defensione synopsios Physica*, ubi clarè & perspicuè Naturam utriusque depinxit. interim tn. pauca quædam adjiciemus & imprimis illud, quod *Magia Theoretica* non debeat esse contenta aliquali cognitione, nam licet aliquis *Physicæ* præcepta unam alteramque imbiberit controversiam, non tn. *magus* statim erit *Theoreticus*, quia hæc leviora sunt. *Magia autem Theoretica* occupata est in indagatione rerum maximè abstrusarum, ut mediante hac experiamur, quid naturæ ferant vires, quid ferre recusent. Ideoque ad hanc exactior variarum rerum earumque abditarum requiritur cognitio, quæ in sola contemplatione consistat.

§. III. Hic loci alicui dubium posset suboriri de *Magia Practica*, cur de hæc in *Physicis* agamus, cum tamen *Physica* sit *Scientia*, cui nihil commercii intercedat cum rebus factibilibus, *Magia* verò *Practica* quod ipsum infert nomen *γνώσις* *Magiæ Theoreticæ* præsupponere quidem, minimè tamen ultimato in contemplatione acquiescere, sed tendere ulterius, ut opus efficiat. Verum huic dubio posse succurri putamus, si distinctio adhibeatur inter tractationem directam & indirectam, inter id quod sit per se & quod sit per accidens, de *Magia* hæc intellige *Practicam* in *Physicis* non agitur directè, sed indirectè, non per se, sed per accidens. Secundum enim Canonem Philosophorum *τὰ ἐναντία παράλληλα μάλιστα φαίνονται, καὶ μᾶλλον γνωρίζονται* h. e. *Contraria juxta se posita magis elucescunt*. Nam sicut ab acerbis dicente *Clar. Dn. M. Iacobo Saurio in Syntagmate Logico p. 226. Can. 4. quæle est Myrrha vinam potum dulcius sentitur: Ita ex cognitione unius oppositi alterum clarius intelligitur. Et hæc est causa* subjungit cur opposita in eadem disciplina considerentur, quod *Ethica* agat de virtute & vitio, *Medicina* de Sanitate & Morbo, *Politica* de pace & bello. Quæ verba monstrant *Magiam Practicam Physicæ* submitti posse censuræ non quidem directè uti monitum sed indirectè, ita ut *Magia Theoretica* per hanc & hæc per illam melius declaretur.

THESES III.

Utraque subdividitur in Naturalem s. licitam, & Dæmoni-
niacam s. illicitam.

Ἐκθεσις.

§. I. Hanc non esse divisionem totius integralis in partes inte-
gran-

grantes, sicut illa fuit in Theoreticam & Practicam, cum Ratione tñ
Autoritate probare possumus. Nam Dæmoniaca s. illicita jure re-
movenda est à foro Physico nec etiam participat de Magia velut
Theoretica & Practica. Si tamé locus ipsi relinquitur ut in Physicis
proponatur, tunc hoc non fit *positivè*, ut adhibeatur, sed *remotivè*, ne
adhibeatur. Vile enim separandum est à pretioso, falsum à vero, Ma-
gus dæmoniacus à Mago Naturali, quod certè præstat Magia. Au-
toritatem quod attinet, illa est *B. Sperlingij*, qui *Zeisoldo* datam Ma-
giæ definitionem impugnantem in *defension: Synops. Phys: pag: m. 962.*
seqq. inter alia sic respondet: *Confundit* (intelligit *Zeisoldum*) *di-*
versas divisiones. Alia est divisio Magiæ in Theoreticam & Practicam:
Alia in naturalem & Dæmoniacam. Nec dico de utraq; divisione, quod sit
totius integrantis in partes integrantes tantum de priori hoc assero, ubi
verè habetur totum integrale & partes integrales, sed per analogiã sic dicta.

§. II. Relinquitur ergò hanc divisionem in Thesi præsentii alla-
tam esse distinctionem æquivoci in sua æquivocata, cum uno mem-
bro rejecto alterum assumimus, quod de divisione hæc verum est,
quia saltem naturalis retinetur, Dæmoniaca verò rejicitur. Possumus
iterum lucem accendere assertioni nostræ verbis *B. Sperlingij* è
defension: Synops: Phys: petitis quando sic inquit *p. 890. Divisio Magiæ*
in licitam & illicitam non nisi æquivoci in sua æquivocata est. Remotam
nunc planè hæc vice à nostrâ volumus Disputatione Magiã Dæmo-
niacam, sicut titulus promittit nos velle agere de *Magia in genere &*
in specie Naturali, illam mittimus, hanc ulterius quo ad existenti-
am, essentiam atq; species sumus persecuturi.

THESIS IV.

Magia Naturalis datur.

EXPOSITIO.

§. I. Quamvis uni vel alteri odiosum videatur quando quæritur
de existentia hujus vel illius rei, an detur, interim tñ. cuilibet suo a-
bundare sensu facilè permittimus certiores facti, prius de existen-
tia rei nos securos esse debere quàm illius suscipiamus temerè essen-
tiam. Quod *Aristoteles lib. 2. Posterior: cap: 7.* docet innuendo præmit-
tendam esse quæstionem an sit quæstioni quid sit, ne autem hoc
gratis asserere videatur, asserti sui rationem sequenti capite 9. sub-
jungit inquiring: *α δὲ να τὸν γὰρ εἰδέναι, τὴν εἶναι ἀ γινώσκαι εἶ εἶναι.* Sin igitur
in accuratam rei cognitionem pervenire non possumus, nisi prius
de illa nobis constiterit, an detur vel non, nobis etiam forsitan
illud

illud obtigisset, si quæstione an sit relicta, quæstionem quid sit declaratam dedissemus. Quod ut clarius evadat, unum saltem adducamus Exemplum: Si v.g. aliquis Cerberum descripturus existentiam ejus an inveniatur vel minus in rerum natura, susque deq; haberet, forsitan ex ignorantia atq; supina negligentia hujus quæstionis an sit, talia ipsi attribueret prædicata, qualia non permetteretur esse à suo subiecto, quia nimirum Cerberus est Non-Ens, ideoq; etiã nulla admittere potest prædicata juxta Canonem Metaphysicorum: *Non-Entis nulla sunt prædicata.* Quod si nunc illud procederet de Magia Naturali, quod sit non-Ens, sicut Cerberus, quid conduceret anxie inquirere in ejus essentiam si nunquam detur, sed existentiam illius morationibus, exemplis atq; Autoritatibus sumus demonstraturi.

§.II. Magiam igitur dari Naturalem, quamvis aliqui inventi sint, referente B. Sperlingio in institutionibus Physic: qui dubitarint, an ulla detur, aut data fuerit unquam talis Magia, probant cum *occulta* cum etiam *manifesta qualitates*, quæ fundamentum sunt Magiæ Naturalis immediatè ex iis resultantis. Accedunt insuper *opera oculis hominum stuporem inducentia*, quæ tamen Cacodæmonem minimè Autorem agnoscunt, sed sunt solius Naturæ vi peracta, sicut infra §. IV. exempla talia sunt adducenda.

§.III. Rationibus nunc adductis exempla eaq; fide digna subjungimus, quibus cuius existentia Magiæ Naturalis ad oculum patebit. Nam si divina librorum monumenta consulamus, luculentissima in iis hujus Magiæ testimonia prostabunt, quibus fidem denegare piaculum esto, è multis saltem unum proponimus. Quis enim nescit dictitante codice sacro, quod Deus Ter Optimus Maximus Regi Salomoni dederit sapientiam omnium orientalium & Ægyptiorum secundum amplitudinem arenæ, quæ est in littore maris. Ab hac sapientia minimè excludenda erit Magia, quasi hujus fuisset ignarus, & quidem Theoreticæ, sicuti rursus sacra pagina hujus rei mentionem injicit, quod Salomon locutus sit de plantis, à Cedro, quæ in Libano est, usq; ad Hyssopum, quæ prodit è pariete, de jumentis, de volucribus, de reptilibus, de piscibus. Et quia Rex omnium sapientissimus à Deo proclamatus est, sicuti scimus sacris è literis, quis dubitet, an cognoverit solstitiorum mutationes, tempestatumq; varietates, Naturas Animantium, differentias Plantarum, Radicumq; facultates. Hæc si aliquis

B

liquis

liquis acumine mentis perpendat, ultrò largietur, Regem Salomonem excellentem omnium rerum habuisse cognitionem, in qua, teste sufficienti *B. Sperlingio in Instit. Phys. p. m. 315.* ipsissima consistit Magia.

§. IV. Hoc, quod jam è codice adduximus sacro, exemplum Magiam concernebat Theoreticam, nunc animo sedet aliquot exempla, eaq; profana inspergere, quibus existentiam *Magia Practica* demonstrabimus. Hic verò magnus nobis occurrit numerus, si historicorum scripta paululum excutiamus, nobis tamen brevitati studentibus, unum alterumve in medium protulisse sufficiat. Miram refert historiam *Johannes Henricus Alstedius lib: 4. Encyclop. cap. 8.* de Aquila Norimbergensium à *Johanne Regio Montano*, magicarum actionum peritissimo viro fabrefactâ, nempe hanc *Imperatori Maximiliano* urbi jam vicino obviam processisse, eumq; ad urbis usq; portam fuisse comitatam. Huc spectat *Archita Tarentini* columba lignea volatilis, & machina illa *Archimedis*, quâ triremes hostium incendiisse fertur, tantasq; edidisse strages, ut illi perculsi terrore, non contra homines, sed contra Deos se pugnare dicerent.

§. V. Quod si aliquis adhuc dubitet de his aliisque exemplis, quæ tamen verè contigisse putamus, an nimirum inventi sint ejusmodi homines, qui opera talia stupenda producere potuissent, illi viva, quasi Exempla ante oculos ponamus, quibus fidem adhibere non detrectabit. Mira enim, ut cum *Johanne Baptista Porta lib: 1. Magia Naturalis cap: 3. p. m. 4.* loquamur, inventa & ingeniosissime excogitata & multa ad mortalium sortem inveniendâ dies promit. Quod de *Typographia, Bombardarum, Pyxidis nautica* inventione verissimum est. Nam hæc tria beneficio *Magiæ Naturalis* non ante mille sed tantum aliquot centum annos excogitata sunt, quibus tota antiquitas nihil par habuit, teste *Cardano*. Sin igitur nulla *Magia naturalis* datur aut data fuisset unquam, certò hæc nondum haberemus, quod sanè dolendum, sin ita esset, præsertim *Typographiæ* causa, tanquã artis ingeniosissimæ pariter ac utilissimæ, de qua fera sibi gratulatura est posteritas. Et qui plura videre gestit, adeat saltem in *Electoralis Dresda* ἐξωλινο Σαυναλρεγνυαλολαμειον, quod vulgo dicitur *die Kunstammer*. Ibi non centum vel mille, sed innumerabilia ferè eaq; miranda conspiciet opera, quibus in admirationem rapietur animi pendulus, ane sint Naturalia an verò Præternaturalia

ralia, quod mihi ante semestre talia videnti contigit, cum tn. sint & maneant Naturalia, naturales agnoscentia causas, quæ saltē adeo politè per homines scientia hâc optimè instructos fuerunt elaborata.

§. VI. Si deniq; Res Autoritatib9 est absolvenda, in promptu aderunt, calculo suo existentia Magiæ Naturalis approbâtes. Inter alios prodeat primū *Jobannes Baptista Porta Neapolitanus*, qui, referente *B. Sperlingio in Inst. Physic: p. m. 317. vix ex ephebis egressus annū agens decimū quintum, integrum de Magia hâc edidit libellum; Tandem quinquagenarius factus, post multos sudores, varia pericula & immensos sumtus, opus idem reddidit locupletius ac nobilius.* De hoc libello antea citatus *B. Autor* nunquam satis laudandus *loc: cit.* statim suum subjungit judicium inquit: *sepè tamen vir maximus minima profert, vilia utilibus, ima summis, ignobilia nobilibus miscens.* Constat verò prædictus liber *libris viginti*, in quibus, sicut Titulus demonstrat, scientiarum Naturalium divitiæ & deliciae demonstrantur. Deinde non minus huc referendus erit *Wolfgangus Hildebrandus*, qui conscripsit Libellum Germano donatum idiomate, quem vocat *noviter auctam atq; correctam Magiam Naturalem* h. e. ut ipse vocat, *Kunst und Wunderbuch*; hunc librum absolutum dant *quatuor libri*; in primo agitur de Homine, in altero de brutis, in tertio de viribus Plantarum in æstimabilibus, in ultimo de variis rebus, in primis verò de quatuor Elementis. Ex quibus satis liquet Magiam dari Naturalem, quia, sin secus esset, prædicti Autores libros de Magia Naturali conscribere non potuissent.

THESIS V.

Magia Naturalis est Habitus ex libro Naturæ acquisitus.

ΕΝΘΕΟΥ.

§. I. Sicuti in præcedenti Thesi solitici fuerimus de existentia Magiæ Naturalis, ut illam demonstrarem9, quò in offenso pede & recto tramite ad essentiam Magiæ Naturalis tendere possimus. Ita in hâc præsentī proponimus *Quidditatem ejusdem*, in qua nimirum illa consistat. Quilibet verò à præconceptis opinionibus modò liber facile videt, nobis minimè sermonem esse de Magia, Thesi primâ definitâ, neq; de dæmoniaca, siquidem jam dudum hanc à tractatione relegavimus nostra, sed tantum de *Magia* & cum hac restrictione quatenus est *Naturalis*, quo addito statim separatur à dæmoniaca.

B 2

§. III.

§. II. Loco autem generis rectè atq; commodè stat *Habitus*: Nam juxta Canonem *Metaphysicorum* ita procedimus: *Quicquid dicitur de toto, dicitur etiam de parte: Atqui de toto scil: Magia dicitur quod sit Habitus. Ergò vi præmissarum sequitur, quod etiam dicendum sit de parte, qualis hoc loco est Magia Naturalis, quod sit Habitus.* An verò sit *Habitus* principalis, an *Instrumentalis*, de eo hoc loco agere superfedemus, ut ne, quia superius in *Thesi* prima §. 3. hæc opera defuncti sumus, quo etiam lectorem benevolum remittimus, crambem bis cõtãtã apponamus.

§. III. Differentiam sistunt reliqua verba ex libro *Natura acquisitus*. Non enim, sunt verba *Plurimum Reverendi Dn. D. Pomarii in Collegio suo Synoptico in P. G. Physicæ disp. de Magia posit. 2. §. 1. Infunditur, nec connascitur, sed labore summo ac pertinaci ex sedula virium naturalium consideratione acquiritur.* Requiritur igitur, uti audimus *Crebræ contemplationes & reiteratæ actiones*, si *Magiam Naturalem* nobis comparare optamus. Et quidem ut eò felicius eandem adipisci possimus, præscripsit nobis *Plutarchus* adminicula, quæ ad *Habitus* acquisitum parandum ac firmandum concurrere opus est, nempe *Φύσις* *Natura*, *μαθήσις* *Disciplina* & *ἀσκήσις* *exercitatio*, quæ tria momenta pluribus explicata invenies apud *Excellent. Lic. Meierum P. G. Gnostol. p. m. 336. seqq.* ubi demonstrat *Φύσις*, *μαθήσις* & *ἀσκήσις* necessitatem ex arctissima trium causarum dictarum connexionem. Cui volupe est huic studio aliquid temporis impendere, ille nõ solũ confitebitur, hæc tria maximè necessaria esse in comparatione *Magiæ Naturalis*, sed etiam, si *Φύσις* persentiscet, omnem movebit lapidẽ, ut *μαθήσις* nanciscatur, cui demũ ipsa *ἀσκήσις* succedet.

THE SIS VI.

Magiæ Naturali certæ competunt species.

ΕΠΙΘΕΣΙΣ.

§. I. In limine statim hujus *Theseos* notandum erit, quod hoc loco *Species* nõ capiatur (1) *Grammaticè* pro specie primitiva aut derivata, nec (2) *Logicè* pro termino prædicabili essentiali, neq; (3) *Physicè*, idq; rursus (a) pro corpore *Naturali* completo rectè & perfectè in prima mundi origine à Deo creato ad *Conditoris* gloriã & mundi integritatẽ, quales species dantur plures in *Physicis*. (β) pro specie sensibili aut intelligibili, multò minò (4) pro pulchritudine, aut (5) pro forma rei quæ dat rei esse specificum, sed (6) pro modo germanis dicitur *Artis*.

§. II.

§. II. Quando ulterius huic Vocabulo speciei adjicitur alia vo-
cula & dicitur, quod *certain* Magia Naturalis habeat species, tunc
non id volumus ita intellectum, quasi respectu omnium sub-
jectorum illæ species, quas mox adducemus, sint certæ, siquidem in
enumeratione earum mirum in modum Autores variant. Nam no-
stræ illicò adducendæ neutiquam sunt certæ *Theophrasto Paracelso*,
qui, sicut traditur à multis, *sex Magiæ Naturalis species* posteritati
reliquit, inter quas primum occupat locum *Interpretatio signorum*
præternaturalium, deinde *μεταμόρφωσις* corporum v.g. si homo mu-
tatur in lupum, felem &c. posthæc *species Characteralis*, quando vis
medendi characteribus tribuitur, porro quando *Imagines & Scri-
ptura id effectum dant, quod aliàs composita medicamenta*. Tum *Al-
teram in alteram* (ut vocat) quando, quod imaginibus infligitur, ii
patiuntur, quorum sunt imagines. Et deniq; *Cabalisticam*, quum
admiranda verbis & numeris, quæ tamen *ἀδύνατα* sunt, assignan-
tur, v. g. licet contingat unum in remotissimis reperiri locis, alte-
rum tamen ipsius vocem & mentem beneficio hujus speciei audire
& percipere posse. Quamvis autem hæ sex enumeratæ species cer-
tæ sint & fuerint *Paracelso*, nobis tamen & uti putamus omnibus
veritati studentibus minimè sunt *certain*, sed potius *incertain*, imò peni-
tus *false*, quæ jure Magiæ assignari queunt *Dæmoniacæ*, de qua nobis
jam non sermo. Ideoq; species nostræ certæ sunt uni vel alteri sub-
jecto, in primis veritatem sectantibus.

§. III. Multa autem sententiarum divortia hîc cernere licet in
enumeratione specierum Magiæ Naturalis, uti §. 2. monuimus, quas
adferre in præsens non possumus ob penuriam chartæ, quæ, si proli-
xiores erimus in recensendis iis, nobis deerit, sufficiat interim no-
bis in præsentiarum tres potiores adduxisse, quæ suo non destitu-
untur fundamento, quas paucis perlustrabimus.

§. IV. Prima igitur ex his tribus speciebus Magiæ Naturalis est
Consensus & Dissensus corporum Naturalium notitia. Quid autem,
συμπάθεια & αντιπάθεια sit, optimè docet *B. Sperlingius in Exercit:
Phys: p. m. 207*. cum sequentem in modum describit: *Sympathia*, in-
quit, *est amor naturalis corporis unius erga aliud: Antipathia est odi-
um naturale corporis unius erga aliud*. Quæ originem debent suam
non tantum manifestis, sed etiam occultis qualitatibus. Hæ verò non
B 3 sunt

sunt dicendæ ignorantiaæ asylum, quia, dicente antea citato *B. viro in Synops. Phys. p. m. 78. Omnia ad manifestas deducere velle qualitates magna est & impudentia & imprudentia*, ideoq; interdum post exactam manifestarum qualitatuum investigationem ad occultas deveniendum erit, nisi controversias satis nobiles nec non minus utiles sicco præterire pede vellemus. Si nunc omnia exempla ad occultas spectantia Qualitates adducere allaboraremus, profectò charta potius quàm copia eorundem nobis deficeret, contenti erimus uno alterove exemplo, plura qui desiderat, adeat *Fracastorium* in peculiari hac de re conscripto libro *de consensu & dissensu rerum*, cui subjungitur potest Tractatus Eruditissimus nuperrimè hac de materia ab *Excellentissimo Dn. D. Pomario* editus. Exemplum qualitatuum occultarum experientiâ quotidianâ confirmatum nec non in sensus in currens, conspici licet in bovis, loco in illo, in quo bos fuit mactatus, consistentibus atq; ingentem boatum ejulatumq; cientibus, quæ de re dubio procul vulgus admirabitur, si aspiciet locum hunc, neq; tamen guttulam sanguinis aut alia deprehendit vestigia, anxie inquirat hujus rei causam, nec tamen eandem invenit, quam perspectam habet *Magiæ Naturalis peritus*, qui id adscribit *qualitatibus occultis*, videlicet *effluviis* è mactati bovis corpore egressis atq; ibi hærentibus, quæ, cum alter animadvertit ob Sympathiam ipsi cum hoc intercedentem boatum tam miserrimum excitat. Contra exemplum priori oppositum datur in ove & lupo, inter quæ duo animalia minimè datur Sympathia, sicuti placet *Arnoldo Sengverdio Philosopho Amstelodamensi*, sed potius Antipathia. Hanc controversiam quam nos ventilandam non proponimus, sed cujus saltè mentionem fecimus, ut nobis sit exemplo Antipathia, qui cupit ex professo tractatam videre, perlegat modò *Disputationem Physicam de Amore Ovis & Lupi*, ita enim inscribitur, *Clar. Dn. M. Gorbolfredi Boigts Rectoris nunc Lycei Güstroviensis*, ibi argumenta dari ovem inter & lupum Antipathiam probantia, unà cum argumentis in Contrariū à *Sengverdio* oppositis additaq; responsione inveniet. Nos tantum id notamus, quod rursus plebs admiratione teneatur, qui hæc, ut inimicitias gerant invicem lupo & ovis, sed genuinam hujus rei causam statim dabit expeditam *Magiæ Naturalis peritus*, inquirendo, ortum suum hoc trahere ex qualitatuum horum animalium dissimilitudine.

§. V. Alte-

§. V. Alteram Magiæ Naturalis speciem accurata Phantasia cognitio excipit. Quid autem Phantasia sit, desumimus iterum è Synopsi B. Sperlingii, ubi p. m. 246. præcept: XV. ita loquitur. Phantasia est sensus internus species à sensu communi ad se delatas diutius retinens & diligentius examinans. Hic parùm desudabimus in explicanda Phantasiæ definitione, sed potius rem illustrabimus Exemplo è limpidissimis Israelis fontibus desumpto. Nam si paulisper scripturam evolvamus sacram, inveniemus, quod in eâ mentio fiat Jacobi Patriarchæ, qui specimen Magiæ Naturalis insigne edidit, Phantasiæ vires probè cognitas habens. Socero enim cum suo pactum iniens, ut loco mercedis sibi in posterum diversicolores caperet oves, ecce Jacobus ceu Magiæ Naturalis peritissimus virgas assumpsit populeas, virides & amygdalinas, & ex platani, ex parte decorticavit eas, detractisq; corticibus, in his, quæ spoliata fuerunt, candor apparuit, illa verò, quæ integra fuerunt, viridia permanserunt, atq; hunc in modum color effectus est varius, posuitq; eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut, cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Quid factum, res felicem sortita est eventum dictitante codice Sacro, siquidem oves coitum in eundo, & oculos in virgas inusitatas defigendo, simul cum aquâ earum imagines intimius in conceptionis articulo admittebant, quæ imaginatio, nam Phantasiæ vires admirandas esse h. l. præsupponimus, ut ad oculum illud demonstravit B. Sperlingius in aureo suo tractatu de formatione hominis in utero cap. 5. qv: 3. à pag. 102. usq; 118. qui videri potest, deinceps effecit, ut diversicolores eniterentur foetus. Quamquam non negandum sit, hanc Magiam Naturalem, cujus beneficio foeturam ovium suarum Jacobus multiplicavit, benedictionem divinam & extraordinarii aliquid neutiquam excludere, sed potius includere. Hunc diversicolorem ovium foetum elegantissimè descripsit disputatione quadam hæc de materia edita Excell. Dn: Lic: Simon Superintendens Scidensis, t. t. Facult. Philosoph. Adjunct. ubi prolixius eum explicavit.


§. VI. Tertiæ & ultimæ Magiæ Naturalis speciei competit *ὄνειρον φυσικόν* s. divinatio ex somniis. Ante omnia verò observandum erit, somnia esse duplicia hyper Physica & Physica. Ad illa referuntur somnia tam divina quam Diabolica, ad hæc spectant Naturalia & ani-

& animalia in specie. Hyper Physica somnia, quia nihil cum natura commercii habent, nostræ non sunt *διασκέψεως*, sed nos in præsentiarum rimamur somnia Physica, an ex iis possimus aliquid divinare, quod affirmare nulli dubitamus. Neq; tamen hic admodum solliciti sumus de somniis naturalibus, quæ definitore *B. Sperlingio in Zool. Phys. p. m. 93. cap. XVI. Præcept. III, ex Imaginibus interdium conceptis ac relictis formantur*, ex quibus nihil conjicere possumus, quia habentur tantum pro deliriis & ridiculis Phantasiæ effectis, quibus de *Claudianus* canit.

Omnia quæ sensuvolvuntur vota diurno,
 Tempore nocturno reddit amica quies.
 Venator defessa thoro cum membra reponit,
 Mens tamen ad Sylvas & sua lustra redit.
 Judicibus lites, aurigæ somnia currus
 Vanaq; nocturnis meta cavetur eqvis.

Quæ somnia animalia cuilibet hominum obtingunt. Sed nobis unice h. l. sermo est de *Naturalibus in specie ita dictis, suam trahentibus originem ex alia atq; alia corporis temperie & dispositione*: Hæc, quando hominibus obtingere solent, sunt divinatoria, utpote cui videtur in somnio se convivii interesse, audire instrumenta Musica, Panduram, fistulam, tubam ductilem &c. vel etiam ipse profundo adhuc oppressus somno altâ voce intonat hunc vel illum cantum, talia somniantem judicamus esse *sanguinei temperamenti*. Et sic possemus procedere in cæteris, ut ante oculos poneremus nostros, quid agant *Cholerici*, quid præstent *Phlegmatici*, quid tentent *Melancholici*. Sed filum abrumpendum esse chartarum defectus nos monet. Quapropter pedem hinc figimus, &

agIMVs tIbI ô DeVs gratias In seCVLa.




05 A 1957

ULB Halle

3


003 786 501



[Handwritten mark]







B.I.G.

Farbkarte #13

I. N. S. S. T.

EX
PHYSICIS
DE

56
18

AGIA IN GENERE
T IN SPECIE NATU-
RALI,

DISSERTATIONEM

ltu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
in Inclytâ Wittebergâ
publicæ Eruditorum collationi

PRÆSES

ÆGIDIUS *Rothe*

Camentio-Lufatus

ET

RESPONDENS

ORGIUS SCHUBART

Liebstadio-Misnicus
subjiciunt.

Ad d. 26. Novemb.

In Auditorio Minori Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

TYPIS MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.
ANNO M DC LXX.

